



Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Italia Antiqua

Opus post omnium curas elaboratissimum ; tabulis geographicis ære
expressis illustratum ...

Philippi Clvveri[i] Italiae Antiquae. Tomus ...

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1624

Cap. VI. De Picentinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14124

serim adpellaverit flumen aut amnem. Neque verò in flumen aliquod certa aliqua via duci poterat. Sed caput disputationis est, quòd heic fluvius, præter prædictos, est nullus.

Atque haec tenus celeberrimæ nobilissimæque totius Italæ regionis Campaniæ loca fluminaque, quæ antiquis memorantur auctòribus, summâ, quantum fieri potuit, curâ, explicuimus.

C A P . V I .

10

De PICENTINIS.

Campaniæ post Minervæ promontorium continuabantur **PICENTINI** populi, ad Silarum usque amnem, Lucaniæ terminum; Picentum, superum adcolentium mare, avulsa pars, à Romanis huc traducta. Plinius lib. IIII cap. V: *Surrento ad Silarum amnem xxx millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum; templo Iunonis Argivæ, ab Iasone condito, insignis.* Strabo sub finem libri V: *Μετὰ δὲ τὴν Καμπανίαν καὶ τὸ Σαμνῖτιν μέχεται Φρεντανῶν, οὗτοι μὲν τῷ Τυρρηνικῷ Ἰστράτῃ, τῷ τὸ Πικενίνων ἔδυνται οἰκεῖ, μικρὸν διστασματα τῶν ἐν τῷ Αὐδερῷ Πικενίνων, τοῦτο Ρωμαῖοι μετωκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιατὸν κόλπον, ὃς νῦν Παισιανὸς καλεῖται.* * * * Διηκόνῳ δὲ οἱ Πικέντιοι μέχεται τὸν Σιλαρέρον τὸ Καμπανόν, ἐξ οὗ οὖτε τὸς χώρας τὸ δέχασαι Καμπανίαν. Hoc est: Post Campaniam atque Samniam usque ad Frentanos litus Etrisci mari adcolit Picentina gens, Picentinorum, qui ad Hadriaticum mare incolunt, avulsa particula, traducta à Romanis ad sinum Posidoniatem, qui nunc Paestum vocatur. Paullo post: Per tingunt autem Picentes ad Silarim usque amnem; qui ab hac regione veterem Campaniam disterminat. En, quid heic monstrorum imperitus exscriptor formavit? Silarus amnis Picentinorum regionem separat à veteri Campaniâ. ergo hæc fuit ultra Silarum; ubi omnes pariter auctores ponunt *Lucaniam*. Item: post Picentinorum regionem, id est, trans Silarum fuere Frentani. at hos omnes scriptores ad Hadriaticum ponunt mare, inter Picenteis & Apuliam; ut infrâ cap. VIII videbimus. Audiverat igitur hic exscriptor, Picentes apud Hadriaticum mare protenso fuisse usque ad Frentanos. id ille postea per immanem errorem de Picentinis heic apud Erruscum mare prescripsit. Scribendum autem erat μέχεται τὸ Λαύκανων usque ad Lucanos. Verum duabus vocibus istis δέχασαι Καμπανίαν nondum video quid faciendum. Videtur tamen hoc Strabo voluisse; antequam Picentini huc deducuntur, *Campanos* incoluisse hunc agrum ad Silarum usque. Ante Campanos *Tusci* cum tenuere cum reliquâ Campaniâ; ut suprà ex Plinio intelleximus. Includebantur igitur Picentini ab unâ parte mari infero: ab alterâ, quâ *Campani* erant contermini, jugo illi, quod à Minervæ promontorio introrsus protenditur ad opidum usque *Cavam*. hinc linea juxta Sarni & Caloris amnum fontes ad Apenninum ductâ, primùm ab *Samnitibus*, dein ab *Hirpinis* sejungebantur. à tertîâ parte ipso Apennino ab iisdem Hirpinis discernebantur. ab reliquâ parte, quâ *Lucanorum* conterminos habebant, erat Silarus amnis. Ptolemaeus heic haud modicè erravit; dum Picentinorum regionem à Sarno amne ad Silarum usque producit. Πικενίνων, inquit, Σάργυς τὸ Καμπανόν, Σάρρεντον, Σάλεργον. Λαύκανῶν, Σιλαρέρον τὸ Καμπανόν. Id est: Picentinorum sunt, Sarni fluminis ostium, Surrentum, Salernum, Lucanorum Silari amnis ostium. At Mela, haud perinde diligens Italia descriptor, omnem Picentinorum regionem Lucaniae attribuit. Lib. II cap. IIII, adverso litorie incedens, *Paestanus*, inquit, *sinus, Paestum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petra quas Sirenas habitavere, Minervæ promontorium; opima Lucania loca.* De cætero deduci haud dubiè Picentini huc ex Picentibus fuere, quum M' Curius Dentatus consul, cui collega fuit P. Cornelius Rufinus, anno urbis Romæ CCCCLXIII, Samniteis Sabinoisque & alias hinc ad mare usque superum genteis debellavit; ut suprà lib. II cap. VIII in Sabinis ostensem. Sed fines Picentinorum postquam ostensi, opida eorum etiam indicentur. De his ita Strabo prædicto lib. V: *τὸν δὲ Πικενίνων ταχηρή μητρόπολις Πικενία· νῦν δὲ καμηδὸν ζῶσιν, ἀπωθέντες τοῦτο Ρωμαῖοιν οἴστησι Λαύκανης καπινίαν.* autem ἡ σεριέτας ημεροδρομεῖν καὶ γεφυματοφορεῖν απεδείχθησαν ἐν τῷ πτη

τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπέληντι πλησιαὶ οὐδὲ Βρέτοις, τῷ τοις αὐτοῖς εἰρίχους οὐδὲν Σάλερνον Ρωμαῖοι, Φρεγές χάρακοι, μικρὸν τούτον τῆς θελάτης. Hoc est: Picentinorum caput fuit Picentia. nunc verò per vias habitant; à Romanis urbe expulsi, quod Hannibali sese conjunxit. Loco autem militiae adsignatum iis fuit, uti cursores ac tabellarii essent in eo reipublica statu, quem tunc tenebant: quemadmodum & Lucani atque Brutii, eamdem ob causam. Präsidii verò loco adversum eos communiverunt Romani Salernum, haud procul à mari. Hinc duo ista tantum memorat opida Plinius dicto lib. IIII cap. V. A Surrento, inquit, ad Silarum amnum xxx millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum: templo Junonis Argivae, ab Iasoni condito, insignis. Intus opida, Salerni, Picentia.

¹⁰ SALERNVM opidum, præter Strabonem & Plinium, memoratur etiam Horatio, SALERNVM
Livio, Velleio, Silio, Lucano, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis antiquis. Hora-^{colonia}
tius lib. I epist. xv:

Quæ sit hiems Velie, quod cælum, Vala, Salerni.

Silius lib. VIII:

Ille & pugnacis laudavit tela Salerni.

Lucanus lib. XI:

— Radensque Salerni

Culta Siler.

Vulgò etiam nunc urbs archiepiscopali sede clara dicitur Salerno; sed in ipso litoré
²⁰ posita: quum olim remota esset à mari, in montibus, quæ hodiernæ urbi imminent.
Itineraria sic habent:

Tabulæ: Antonini:

Nuceria	Nuceria
Salerno	viii. In medio Salerno ad Tanagrum

xxx.

Hodièque inter Nuceriam & Salernum justa sunt millia viii. Coloniam Romanorum
huc deductam fuisse, auctores sunt Velleius atque Livius. Velleius lib. I: *Cn. Manlio Volpone & M. Fulvio Nobiliore consulibus, Bononia deducta colonia: & post quadriennium Pisaurum ac Potentia: interjectoque triennio Aquileia & Gravisca: & post quadriennium Luca. eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque & Buxentum missi coloni.* Longè aliter Livius: qui ante omneis istas colonias Salernum Buxentumque deductas colonias tradit, anno vii post bellum Hannibalicum, in consulatu P. Cornelii Scipionis Africani altero & Ti. Sempronii Longi. Verba eius lib. XXXIIII, in rebus dicti consulatus, hæc sunt: *Coloniae civium Romanorum eo anno deductæ sunt, Puteolos, Vulturnum, Liternum: triceni homines in singulas. item Salernum Buxentumque colonie civium Romanorum deductæ sunt.* Hoc sanè tempus magis quadrat in Strabonis narrationem; qui ait, expulsi fuisse à Romanis suā urbe Picentinos, jussosque vicatim habitare. præsidii autem loco contra eos communitum fuisse Salernum. Existitque hanc coloniam temporibus bellorum civilium, testis est Appianus eorum bellorum lib. I. Πάπιος Σταβίας εἶδεν τὴν Δίτερον τὴν Σάλερνον, ή Ρωμαῖον ἄνω τοῦ λόφου. Id est: Papini Stabias cepit & Liternum ac Salernum; quæ Romanorum erat colonia. Posterioribus etiam celebrem fuisse temporibus urbem, inde patet, quod Tabula itineraria primariae urbis signo depictam habet. Opidani inde dicebantur SALERNITANI. Plinius lib. XIII cap. III: *In Salernitanâ latebrâ.* Valer. Maximus lib. VI cap. VIII: *In regione Salernitanâ.*

Alterum hinc Picentinorum opidum PICENTIA, quod caput gentis fuit, teste su-
præscripto Strabone, memoratur prætereà Melæ, Plinio, Silio, Floro, Tabulæ,
itineraria, & Stephani epitomatori. Silius lib. VI:

⁵⁰ *Nunc sese ostendere miles
Lencosiorē scopolis, nūne quem Picentia Pœsto
Misit.*

Mela lib. II cap. IIII: *Pastum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petra quæ Sirenes habitarvère, Minervæ promontorium.* Ergo maritimum fuit opidum Picentia? Negat Plinius; *Intus, inquiens, Salerni, Picentia.* negat Tabula itineraria; quæ itinera huiusmodi habet:

<i>Salerno</i>		<i>Salerno</i>
<i>Icentie</i>	xii.	<i>Icentie</i>
<i>Abellino</i>	xii.	<i>Silarum fl.</i>
<i>Benevento</i>	xvi.	<i>Nares Lucanas</i>
		<i>Vico mendicolo</i>
		<i>Nerulos</i>
	
		xxvii.

Vtrumque iter in mediterranea dicit; alterum versus septentriones in Hirpinos, alterum versus ortum hibernum in Lucanos. namque *Nerulos* nunc vocari *Episcopiam* ad ripam Siris amnis, qui nunc vulgo est *Sinno*, post in Lucanis docebo. In primo quidem itinere *Picentia* ponitur medio situ inter *Salernum* & *Abellinum*. Verum hoc falsum oportet sit; quando ab eo loco non viiiii millia, ut est altero itinere, ad *Silarum* fluvium intercedunt, sed xx amplius. numeri igitur illi xii corrupti sunt: quae corruptio *Picentiae* locum immutavit. Ego equidem iter per oram maritimam a *Salerno* ad *Silarum* ter faciens, quamvis diligentissime de *Picentiae* situ incolas percunctatus sim, tamen nihil certi ex iis investigate potui. tandem ubi *Lugdunum* redii, ex magno amico, cuius suprad in Campania ad *Stabias* memini, Doct. Ael. Everardo Vorstio intellexi, iter eum quandam ab *Tarentino* sinu cum illustrissimo domino *Fabricio Pignatello*, marchione *Cerchiare*, cuius tum medicum ad sesqui annum egit, per interiora Italiae Neapolim versus fecisse: in eoque itinere incidisse in rudera antiqui opidi, inter opida, quibus vulgaria vocabula *Oliveto*, *Contursi*, & *Campagna d'Evoli*, sita; quibus hodiisque ab incolis nomen tribuatur *Vicenza*. distare autem eum locum a proximâ *Silari* ripâ viiiii millia passuum. In Tabula itinerariâ *Picentiae* nomen, seu, ut illic vitiatum est, *Icentie*, semel tantum a *Salerno* prescriptum est. inde vero lineæ deducuntur itinerariæ duæ: altera versus *Abellinum* & *Beneventum*; altera versus *Lucaniam* & *Nerulos*. Potuit igitur esse satis remota *Picentia* ab itinere, quod *Salerno* fert *Abellinum*. Corruptos esse numeros in tabula inter *Salernum* *Picentiamque* & *Abellinum*, jam ante a convici. quod si verò is numerus utrimque geminetur; ita, uti & a *Salerno* ad *Picentiam*, & hinc ad *Abellinum* ponantur xxiiii millia; propius ad verum accedemus; *Picentiae* situm. Et rectè sane eadem Tabula a *Picentiae* habet ad *Silarum* viiiii millia. tot enim circiter sunt a dictis ruderibus ad superiorem *Silari* ripam, quæ opidumi adpositum vulgari vocabulo *Valvano*. Sed hic etiam vitiatus potest esse numerus. quum iter illud potuerit actum esse, non per montana, sed per amoenissimam *Tanagri* fluminis vallem, quæ vulgo dicitur *Val di Diana*. Sed de situ *Picentiae* satis. Ceterum quum Romani *Picentinos* inde expulerunt, aut non deletam fuisse, aut posteà iterum instauratam, patet ex *Flori lib. 111 cap. xviii*; quod est de Sociali bello. Nec *Hannibal*, inquit, nec *Pyrrhi* fuit tanta vastatio. ecce *Orciculum*, ecce *Gru-* *mentum*, ecce *Fasula*, ecce *Carfcoli* reseratae. *Nuceria* & *Picentia* cedibus, ferro, & igne vastantur. Initium cepit hoc bellum anno urbis Romæ 131XIII: ante natum Ielidum anno xc: duravitque v circiter annos. Tempore auctoris Tabula itinerariæ, quæ circa Iuliani imperatoris tempestatem, quadringentis ferè annis post natum Christum confecta, exigi momenti fuisse locum, ex eo adparet, quod nudum tantum positum illic est nomen.

MARINA
opidum.

Porro Strabo fine dicti libri v ita tradit: Μεταξὺ δὲ τῶν Σηρενισῶν καὶ τῆς Ποσειδωνίδες Μαρίνα τυφλεῖαν κλίσμα, οὐκέπονον τερπόν Σαμιτῶν. ἐνεῦρεν εἰς Ποσειδωνίαν Διὸς Νύκεργας ἡ τελεόντων εἰσαγόν. Εἶναι διαδίκιαν εἰν τῷ ιδίῳ μέρε. Id est: Inter *Sirenas* & *Posidoniam* *Marcina* est, *Etruscorum opus*, a *Samnitibus* habitata. Hinc per *Nuceriam* ad *Pompeiam* usque isthmus est cxx haud amplius stadiorum. Id est, millium passuum xv. At quam mira hæc est loci designatio, inter *Sirenas* & *Posidoniam*, id est, *Pæstum*; quum ab eo loco ad Pompeios xv tantum velit esse millia passuum? Sed ait, eum locum ad isthmum esse, qui Pompeios usque extendatur. Id montis jugum, quod in *Minervæ* denique finitur promontorium: quodque partim asperis partim planis locis sustinet opida episcopalia, quibus vulgaria vocabula, *Massa*, *Vico*, *Castel à mar di Stabia*, *Letteri*, *Ravello*, *Scala*, *Grand*, *Minori*, & duas archiepiscopaleis urbeis *Amalfi* & *Sorrento*, isthmum habet a *Nuceria* ad opidum *Veteri* cccx passus a *Salerno* disiitum: quo veluti peninsula quedam dictum jugum efficitur. Isthmus autem iste est vallis xiiii millium

millium passuum longitudine: in qua opidum transitur *Cava* post vi millia passuum à Nuceria. Ex isthac igitur Strabonis descriptione MARCINA opidum id est, quod nunc dicitur vulgo *Veteri*: ipso nomine antiquitatem suam indicans; ut multa alia loca per inferiorem Italiam. Tuscorum sive Tyrrhenorum ait Strabo esse opus. Plinius dicto lib. III cap. v, *A Surrento*, inquit, ad Silarum amnem xxx millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum, templo Iunonis Argive, ab Iasone condito, insignis. An igitur heic Marcinæ fuit istud TEMPLVM IVNONIS ARGIVAE? De Iasone fabulae sunt. Considerunt autem templum hoc haud dubie Græci homines, qui uni Iunonem Argivam colebant; nempe Tyrreni Pelasgi, qui quondam unâ cum Tuscis sub unâ republicâ inter Arnum amnem, Apenninum montem, Tiberim fluvium, & mare inferum, vivebant; atque inde expeditione factâ, omnem Campâiam occupabant; ut suprà lib. II cap. i ostensum.

De reliquo, est hodie opidum, IIII millia passuum citra Silarum, vulgari vocabulo *Evoli*. id equidem haud dubitaverim, quin olim dictum fuerit plurali numero EBVR^{EBVRI opidum.} unde Plinio lib. IIII cap. xi opidi dicantur EBVRINI: quamquam ille Lucania eos tribuat, errore vicinitatis. sic scilicet eodem capite Bantinos, Apuliae, ut suo loco paret, populos, eidem adscripti Lucaniae. sic eodem capite complureis alios populos & opida per summam incuriam alienis adsignavit gentibus.

20

C A P. VII.

De SAMNITIBVS; quorum regio
SAMNIVM.

C Ampania ab septentrionibus continuabatur SAMNIVM; cuius incolæ SAMNITES, Græcis Σαυνῖται, Saunitæ, dicti. Originem huius gentis ostendimus suprà lib. III cap. VIII; ubi de Auforum gente disseruimus: qui postea dicti fuere Opici & Osci; ac tandem Sabini, & Sabelli: quorum deinde pars maxima Samnitæ vocati. Hinc Strabo lib. V: Εἴ τι ἡ παλαιότερον φύση οἱ Σαβίνοι, καὶ αὐτοκτόνες. τέτων δὲ δασωγοι Σαυνῖται. Id est: Sabinorum antiquissima est gens, & indigena. ab his originem duxere Samnitæ. Varro de Latinâ lingvâ lib. VI: Hoc enim a Sabinis orti Samnitæ tenuerunt. SABELLI auctoriibus crebro adpellantur. Plinius lib. IIII cap. XII: Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixerunt, colonia Boianum. Virgilius Γιωργίων lib. II, de Italiâ loquens:

Hec genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam
Extulit.

Ad hæc sic Philargyrus: Hi sunt, qui olim Aufones dicebantur. De Sabellis Varro in Agemodo sic ait: Terra culturae causâ attributa olim particulatum hominibus: ut Etruria Tuscis, Samnum Sabellis. Livius lib. VIII: Alteri consuli, Aemilio, ingresso Sabellum agrum, non castra Samnitium, non legiones usquam opposite. Lib. X: Samnitium dux Gellius Egnatius pabulum cum cohortibus paciis iterat. Paullo post: Ibi interventu Gelli cohortiumque Sabellarum paullisper recruduit pugna. Horatius lib. II Satyrâ I:

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus:
Missus ad hoc, pulsus, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis.

Bellissimam fuisse totius Italæ gentem, & quæ Romanis maxima facessit negotia, omnes Romanorum, in primis verò Livii, testantur historiae. unde illud lib. XI: Superfunt etiam nunc Samnitium bella, que continua per quartum jam volumen annumque sextum & quadragesimum a M. Valerio, A. Cornelio, consulibus, qui primi Samnium arma intulerunt, agimus. Et ne tot annorum clades utriusque gentis laboresque actos nunc referam; quibus nequiverint tamen dum illa pectora vincit: proximo anno Samnites in Sentinati agro, Pelingis, ad Tifernum, Stellatibus campis, suis ipsi legionibus miseri alienis, ab quatuor exercitibus, quatuor ducibus Romanis cœsi fuerant: imperatorem clarissimum gentis sua amiserant; socios belli, Etruscos, Umbros, Gallos, in eadem fortunâ videbant, qua ipsierant; nec suis nec externis viribus stare jam poterant: tamen bello non abstinebant. ad e